QUÆSTIO MEDICA.

EAQUE THERAPEUTICA, PROPOSITA

AB ILLUSTR. AC NOBIL. D. D. JOANNE-BAPTISTA GASTALDY,

REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIO Ac Medico ordinario, Medicinæ Doctore, in Avenionensi Academia Aggregato, ac Professore Primario.

SUB HAC VERBORUM SERIE


AN PASSIONI HYSTERICÆ GUTTÆ MONSPELIENSES.

QUAM PRO ALTERO EX PUNCTIS sorte sibi assignatis, Deo duce & auspice Dei parâ tueri conabitur Nobil. D. JACOBUS PENNIER DE LONGCHAMP, è loco de Beaumesnil Diœces. Ebroïcensis apud Normanos Medicinæ Licentiatus in magna Cancellariæ Aula Palatii Archiepiscopalis Die. Augusti 1727.



à Septima ad Meridiem.

PRO DOCTORATU.



AVENIONE,
Apud FRANCISCUM JOSEPH. DOMERGUE Typographum & Bibliopolam 1727.

Superiorum Permissu.

martin

D. D. DOCTORES
AGGREGATI DISPUTATURI.

Illustr. D. Spiritus Josephus Parrely, *Decanus*.

Illustr. D. Josephus Brun.

Illustr. D. Philippus Chardon.

Illustr. D. Franciscus du Sudre.

Illustr. D. Josepus Gaspar. Gautier, *Professor Botanicus*.


Illustr. D. Franciscus de la Font.

Illustr. D. Michael Gabriel Arnaldus Parrely, *Professor Anatomicus*.

Illustr. D. Marcus Andreas de la Font.

Illustr. D. Josephus Martin.

Illustr. D. Joannes Baptista Gastaldy, *Filius*.



ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO D.D. FRANCISCO XAVERIO BON

REGI AB OMNIBUS CONSILIIS, BARONI de Fourques, Domino de Celleneuve, Terrades, Morrels, Sancti Martini de Pruner, Chaulet, Sancti Hilarii, Sancti Quintini, & aliorum locorum.

SUPREMI SENATUS MONSPELIENSIS PRINCIPI.

REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS PRÆSIDI ultimum hoc publicum Doctrinæ suæ Specimen.

D. D. D.

JACOB. PENNIER DE LONGCHAMP Medicinæ Licentiatus.



IRUM & novum videri posset hominem longè à te disjunctissimum, tibique hactenùs nullo suo merito notum, id sumere consilii, seu

potiùs confidentiæ, ut amplissimo tuo nomini offerat tantulum munus, & si perillustrem tuam dignitatem saltem acerrimum tuum judicium non reformidet. At mirum non erit haud dubiè iis quibus est aliquid cùm re litteraria commercii, aut qui tuam norunt in litteratos humanitatem, quæ profectò tanta est, ut audeat quislibet musarum alumnus te convenire, & tibi cliens se sistere effeceritque jamdudùm multiplex tua eruditio cum generis claritate conjuncta, ut apud curiosorum naturæ observatorum rempublicam sicut apud Themidis cultores teneas principatum. Hinc quidquid tibi à Viris in utraque scientia præstantibus penditur, non doni sed censûs & vectigalis loco habendum est, non minori enim dignitate præfulges dum supremi Monspeliensis senatûs princeps, Themidis pandis oracula, quàm cùm Regiæ Scientiarum Societatis Præses naturæ penetralia aperis & scrutaris. Ad Physicæ rupem præcipites sunt & prærupti aditus, in te faciles & apertos inveniunt ipsius studiosi, puteumque illum altum in quo naturæ misteria delitescunt, aquæ pauperem invenirent multi, nisi largo beneficentiæ tuæ fonte, perennique Doctrinæ tuæ Scaturigine

ditaretur. Licet enim principum optimatumque plurimorum exemplo in naturæ studio non præcipuam operam, sed succisivas tantùm horas impendas, ex hoc tamen inexhausto naturæ penu novos quotidiè thesauros, novas profers divitias; unum instar omnium afferam, ingeniosissimum scilicet illud utilissimumque circà sericum aranearum inventum, ex quo non chyrothecas tantùm regiæ majestati dignas & gratas conficere, sed ex ipso varia remedia & guttas illas imprimis celebres Monspelienses parare docuisti, quod non Gallia tantùm nostra, sed Germania & universa Europa est demirata, ipseque præ cæteris augustissimus Romanorum imperator imperiali suo Diplomate aureo numismate cæsareâ effigie ornato, stipato significare dignatus est.

Hic se se offerret ampla laudum materies, Mecœnas amplissime, quæ poterit aliquando rerum tuarum scriptores fatigare, ego verò qui parva possum offeroque, magna deterere & extenuare non pergam. Cum igitur nihil nisi tenue præbere possim præter officii & obsequii voluntatem hâc unâ laude contentus sum, unumque non meo tantùm sed Physicorum & Medicorum omnium nomine postulo, ut dùm supremum quem tanta cum

laude geris, magno totius Occitaniæ bono; magiſtratum obibis, ſuffurari te parumpèr pergas, laborioſis negotiorum curis, nec te pæniteat illas identidem artis noſtræ deliciis temperare.





DISSERTATIO ACADEMICA.



OMO integer vitæ, Morbisque immunis à conditoris manu vix exiens, divinæ legis immemor traditus morbis ac letho fuit. Mulier humanitatis pars altera ut viro nocentior, sic ad plures damnata morbos: ipsius corporis compages laxior, animus levior, vita otiosa & exercitatione debitâ ut plurimùm vacua, morbos, mortalium omnium commune licet stipendium, frequentiores ipsis accersunt. Levis aura voluptatis quæ graviditatem præcurrit, brevi in ipsis producit syncope, lypothimias, nauseam, vomitum, stupores, & fugacis pulchritudinis quâ adeò superbiunt jacturam, suos habet partus, suos puerperium, suos ablactatio, suos mensium suppressio morbos, verbo dicam cum hyppocrate

Sexcentæ sunt adhùc ærumnæ quarum parens est uterus. Præcæteris passionem hystericam seligimus hodiè plurimorum aliorum morborum, ut ita dicam, compendium atque synopsin quæ prothei instar tot varias induit formas, ut inexpertis imponat facilè, qui varia quæ secùm trahit symptomata è causis naturalibus deducere nescientes à supernaturali causâ natales ducere clamitant & ad divina tantùm recurrentes præsidia quæ à rerum omnium Domino & conditore creata fuere medicamenta ad ipsius sicùt cæterorum morborum curationem respuunt aut ignorant. Sive igitur in passionis hystericæ paroxismo rideant, lachrimentur, misceant seria jocis, rumpant interdùm vincula, tollant & onera athletarum humeris imparia, ingeniosè desipiant, peregrinas effutiant ignotæ linguæ voculas, jaceant veluti inanimes, sine pulsu, voce, spiritu, concutiantur effrenatè, mox horrendos emittant ululatus, aliaque non minùs stupenda insolitaque peragant; in his & similibus nihil est nisi naturale, nihil nisi à Medicinæ præsidiis superabile; quem enim latet quid insana possit fæmina, aut ut cum antiquis Medicinæ

proceribus

proceribus loquamur; *quæ portenta suscitare valeat uterus, si ipsi quod sitienter appetit denegetur.*

Verùm ut fateamur quod res est, affectus hic mulieribus adeò proprius & peculiaris non existit quín viros interdùm afficiat, licet minora tunc secùm trahere soleat symptomata, & mutato nomine affectio hypocondriaca nuncupetur, sed ob supra dictas rationes mulieres longè frequentiùs atrociusque divexat, & inter morbos mulierum ab antiquis, qui ipsum ab uteri vitiis deducebant, collocatus, à neotericis etiam inter affectus muliebres recensetur, cujus sanè definitionem, imò nec exactam descriptionem ab ipsis etiàm logicæ sectatoribus strenuis minimè præberi posse putamus.

Varia ab authoribus sortitur nomina hic affectus, ratione præcipuorum quibus stipatur symptomatum, alii enim suffocationem, epilepsiam uterinam, asthma, strangulatum, ascensionem uteri; &c. Omnes verò communi vocabulo passionem hystericam nuncupant. Incipit ferè semper hic morbus à levi frigoris sensu, vertigine, & visûs obscuratione, rugitu, & borborigmis in abdomine, dein succedit abdominis tensio, cum motibus convulsivis in plexibus nerveis mesenterii, uteri vel intestinorum undè ita convelluntur, contor-

quentur, coarctantur interdùm & crispantur hujus modi partes ut inde fœminæ aliquid instar globi in abdomine circumvagari & ad fauces uti dictitant ascendere, indeque sibi collum strangulari, uterumque è suo loco dimotum ad palatum assurgere putent, persentiuntur etiam aliquando dolores crebri & atroces, nunc lancinantes, nunc pungentes, nunc rodentes, nunc distendentes, modò fixi, modò vagi cum insigni appetitûs & virium prostratione, interdùm verò cum vomitu nunc materiæ acidæ, nunc ingrati saporis à quo insigne levamen exurgit, accedunt quoque non nunquam animi deliquia nunc mitiora cum faciei tantùm pallore in quibus ægræ non loquuntur, audiunt tamen adstantium sermones & susurrus, nunc graviora & diutiús perseverantia in quibus sine pulsu saltém sensibili; sine voce, sine motu jacent. Alvus ferè semper est adstricta quâ laxatâ arte vel sponte egregium adest levamen præsertim si copiosi simul erumpant flatus, persentitur etiam cordis palpitatio cum pulsu raro, parvo, debili, & intermittente, ac laboriosa respiratione; plurima tandem alia superveniunt in hoc affectu symptomata, nec quidem omnia simul in eadem ægrotante, sed nunc majora, nunc pauciora nunc mitiora, nunc graviora, pro varia subjecti dispositione, & materiæ morbificæ

majori aut minori copia, aut deteriori qualitate, ut ex dicendis clariús elucescet.

Cur autem huic affectui magis sint obnoxiæ mulieres quám viri, non profectò ab utero, ut imaginantur fæminæ, putarunt antiqui, dictitat imperitum vulgus, cum nec loco dimotus, nec tetris malignisque refertus humoribus, sed insons omninò innoxius, & in statu naturali in hocce affectu defunctarum cadaveribus reperiatur, sed ut superiús innuimus, ex leviori mulierum animo, ex nimia ciborum, & præsertim pravorum ingurgitatione, ex vita otiosa quam in umbra parietum torpescentes degere consueverunt, ex violentioribus & frequentioribus quibus divexantur animi pathematis, & quod pejus adhuc est & frequentius heú nimiúm contingit quod cupidinis sagittis lædantur facilius, venerisque æstro vividiùs percellantur, undè fit ut mens concupito objecto intenta nimis reperiatur, & excutiatur è naturali tranquilitate imaginatio, oscillatio vehementior, commotio diuturnior à cerebro ad organa, ab illis ad illud peragatur, sicqne mutuâ communicatione & repercutione mens & corpus afficiantur, æstuet corpus, cæco igne absumatur; in ipso excitentur procellæ corpori perniciosæ, animo funestæ, & ab his aliquando ita immutetur animus, corpusque pervertatur, ut quod natura instituit, ratio moderatur, re-

ligio consecrat, & naturæ tantùm deberet esse officium, mentis vitium evadat. Quod sanè confirmatur ulteriùs ex eo quod virgines viro maturæ, & viduæ præ cœteris passioni hystericæ sint obnoxiæ presertim si virorum liberiori gaudeant consortio. Lautè & opiparè vivant, & perversa diætá utantur, morborum enim plurimorum & passionis hystericæ fons est ferè perpetuus, & inexhaustus, perversus sex rerum non naturalium usus, & præsertim in mulieribus quæ debiliori donatæ temperamento majores & & graviores viris, à tali vitio patiuntur functionum lesiones, quo pacto enim laudabilis tot tantorumque eduliorum intempestivè, assumptorum fieri posset digestio, & quem latet morem jam dudùm apud sexûs utriusque delectum invaluisse ut etiam quod naturâ suá bonum est pravum reddant perverso usu & intemperantiá; nauseabunda fiunt ipsorum convivia nisi plurimis constent ferculis, justam animalium fructuumque ætatem expectare vulgare nimium est, his vix è Matre eductis mensas onerant, ipsis agros, hortos, & viridaria vix efformatis spoliant, arridetque semper novitas & pretium. Frustrà legitur in sacris codicibus in escis multis erit infirmitas magna, frustrà cibi mediocritatem ad sanitatem tuendam postulat divinus senex, ventrique deditos puros non gignere Spiritus Galenus edocet, plures ho-

diernâ die ſubitâ ſterni morte confirmat experientia, fruſtrà in medium afferuntur exempla ruſticarum mulierum improbo labori deditarum, & parcè viventium quæ longè minoribus morbis & paſſione hyſtericâ inprimis rariùs laborant, hæc & ſimilia aniles putantur fabulæ, & Medicorū futilia ac importuna dicta. At brévi ipſarū errorem arguunt innūmera morborum cohors, ipſaque ſæpiſſimè paſſio hyſterica & cum à rectè inſtituta diæta lætos haurire dies noluerint, non ſanitatis modo ſed formæ egregiæ, ſed pulchitudinis quam tantâ arte cuſtodiunt jacturâ plectuntur, brevi perit in ipſis frontis honos, brevi formæ gratia, evaneſcit citò blanda genarum conditio & quâ parte deberent rubeſcere vegeti ſanguinis loco, purpuriſſo indigent; partiumque omnium mutua congruaque inter ſe proportio jam præmaturé immutata vixquè reparabilis reperitur,

Ex frequentibus igitur animi pathematis vitâ deſide, otioſâ, & exercitatione debitâ vacuâ, perverſoque adeò vitæ inſtituto innumera ſuboriri incommoda unumque protheiformem figuram induentem paſſionem ſcilicet hyſtericam mulieres præ cæteris divexare; Quid mirum? Sub pondere vitioſæ digeſtionis, vitiati inde ſanguinis nervorum toni rigidioris vel nimiùm laxati debent torqueri ſpaſmis, cruciari morbis

convulsivis, colicis divexari doloribus, &c.
Spiritusque indè enati effræni & indomiti diras commovere tempestates, cor debet resilire, & tumultuariè moveri, interdùm motu ferè destitui, fluida & inprimis spirituosa debacchari, modò nimis quiescere undè membrorum subsultus, strangulatus, vertigines, deliria, somnolentiæ, cæteraque non pauca quæ ab eodem fonte procedunt, & ex quibus hujusce affectûs causæ tùm remotæ & antecedentes, tùm conjunctæ seù proximæ facili negotio deduci possunt.

Cum igitur ex vitiata corporis æconomia excitentur in nobis animi affectus, & vicissim ex animi affectibus vitietur eadem corporis æconomia, & in passione hysterica duplex hæc licet inter se adeò distans substantia ut plurimùm afficiatur pro causa hujusce affectus antecedente admittere placet animi pathemata frequentiora & violentiora, & perversum sex rerum non naturalium usum; pro causa verò proxima irritationem partiun nervearum & irregularem ac interturbatum spirituum motum, seù quod idem est, clarioris doctrinæ causâ tres causarum species huic affectui vulgò locum præbentes stabiliemus, remotissimam scilicet quam reponimus in vitiis digestionis, à quacumque causa procedant, undè chylus crassus, viscidus, & ut plurimùm acidus

& austerus exurgit, remotam quam statuimus in vitio quod à tali chylo necessariò contrahit sanguis dum ipsi permiscetur, & proximam quam in particulis quibusdam acido-acribus fixis partes fibrosas & nerveas actu pungentibus, & vellicantibus, & liberum ac pacatum spirituum motum interturbantibus, reponimus: ex quo triplici causarum genere symptomata omnia quæ passionem hystericam comitantur facilè deduci posse existimamus.

De Diagnosi hujus affectus pauca dicenda veniunt cum in ipsius descriptione symptomata ipsum stipantia quæ totidem sunt signa diagnostica præsertim si plura ex ipsis conjuncta reperiantur fusè attulerimus.

Prognosis verò sic poterit institui. Passio hysterica in se & rigorosè loquendo periculo vacat, si tamen recurrat frequentiùs, si atrociùs sæviat, si plura ex suprà recensitis symptomatis secum trahat, si adhibitis sternutatoriis vehementibus, nec sternutet, nec moveatur ægrotans, si animo gravitèr & sæpé linquatur, facilè excitari nequeat, & excitata in lypothimiam & syncopen iterùm labatur túnc periculosa censenda venit & præsertim si hæc contingant in prægnante, pariente, aut puerpera.

Ad Curationem quod spectat duplex statim se se offert instituenda, extra paroxismũ scilicet & in paroximo. Extra paroxismum se-

dulò investigendæ causæ dirum hunc affectum foventes & producentes ut evacuentur, vel ità corrigantur ut pravum amplius nullum producere possint effectum. Si igitur violento quodam animi pathemate torqueatur ægra vel agitetur & ex ipso oriri soleat passio hysterica, ratione & industrià utendum ut vitetur talis animi affectus, removendo objecta omnia à quorum præsentia recrudescere posset, ipsaque procul fugiendo; si objecti cujusdam imagine mens delusa, ipsoque potiri nefas sit vel impossibile, in fuga remedium quærendum; si à nimia & intempestiva ciborum ingurgitatione, victu parciori utendum & digestionis vitia convenientibus remediis emendanda; si à laxiori aut rigidiori nervorum compage, quoniam tale vitium difficilè admodum corrigi potest, tunc rigidiori victus ratione utendum, ne generentur in nobis humores idonei ad tale vitium adaugendum dein opportuno tempore aquis thermalibus utendum. His semel institutis, adjungenda veniunt remedia digestionem vitiatam & incommoda indè enata corrigere idonea, inter quæ Emetica, Cathartica, aperientia, stomachica, & volatilia convenire existimamus pro variis quæ se se successiuè offerunt adimplendis indicationibus; balnea quoque ac diluentia non spernenda, cum ènim istud ægotantium genus sit melancholicum,

& melancholici ex Hipp. in tantùm curantur in quantum humectantur, ea ratione prædicta ultima optimè convenire putamus. Quoniam veró in paroxiſmo vehementiori inprimis auxiliares Medici manus poſtulant ægrotantes, quæ tunc ſuppeditare poſſit medicina præſidia inquiramus; quod ut methodicè peragatur ea omnia in medium advocanda quæ fatiſcentem ſanguinis motũ, ſopitos & irretitos ſpiritus, motum ipſorum inordinatum vel imminutum, ſalia fixa nerveas partes vellicantia primarũ viarum ſaburram, ſi adſit; verbo dicam cauſas à quibus paroximus fovetur eradicandas vel corrigendas erit idoneum magis & oportunum: ferè ſemper emeticum convenire exiſtimamus tùm ad evacuandum tùm ad ſuccutiendum; dèin liquores ſpirituoſi & volatiles ut adaugeatur humorum motus, ut ſuſcitentur & extricentur ſpiritus, ut ſalia fixa dividantur & atterantur; præ cæteris Guttas Monſpelienſes proponimus utpotè remedium ſummè alkalinum volatile, palato ingratum minùs & nares odore minùs graveolenti percellens cæteris ejuſdem naturæ ſpirituoſis liquoribus; quod ſanè tùm ſolum tùm plurimis aliis remediis permixtum interiùs & exteriús præſcribi poteſt; antequam autem progrediamur ulteriùs neceſſum omninò putamus remedii noſtri compoſitionem variaſque ipſius præparationes præmittere.

Vulgatum est hodiè apud medicos celebres illas guttas Anglicanas ab eruditissimo quondàm Martino Lyster Caroli secundi magnæ Britanniæ Regis Archiatro adinventas, & à clarissimo quondam pittone Tournefort toto orbe in re præsertim botanica celeberrimo apud Gallos publici juris factas, nihil aliud esse quam spiritum sulphureum volatilem arte chymicâ ex bombycis tunicis extractum ex quibus conficiuntur Guttæ Anglicanæ dictæ. Non minùs vulgatum est etiam Nobilissimum & Illustrissimum D. Bon Supremi Senatus Monspeliensis principem & Regiæ scientiarum Societatis Præsidem dignissimum, ex aranearum tunicis similem eduxisse spiritum, & Volatilem adhuc magis ut variis experimentis comprobavit coram eádem regiá Societate & totius Occitaniæ comitiis Die 5â Decembis 1709. Vulgaruntque deinceps acta eruditorum Galliæ, Bataviæ, Angliæ, Germaniæ, & Italiæ; talis autem spiritus volatilis sivè ex Bombycis, sivè ex araneæ Tunicis eductus potest solus propinari sed cum sit admodùm volatilis & facilé dissipetur, permiscetur vulgò cum liquoribus aliis, & eá ratione pro diversa Medici intentione diversi esse possunt liquores hujusmodi ut *v.* g. Spiritus Cinnamomi, & Cariophillorum dum opus est alexiteriis, essentiæ Ruthæ & Juniperi, si

opus ſit hyſtericis, Laudanum liquidum; & eſſentia Caſtorei ſi anodina indicentur; hæ diverſæ præparationes vocantur æqualiter guttæ Monſpelienſes quarum doſis eſt à gutt. x. ad xx. in pauca vini aut juſculi quantitate; Quoniam vero in paſſione hyſterica modò alexiteriis indigemus, dùm ſcilicet in craſſo ſanguine ita intricati ſpiritus, ut vix extricari poſſint, modò hyſtericis dúm ſcilicet irregulari motu debacchantes ſpiritus, convulſivos motus nunc excitant, nunc varias eaſque confuſas producunt ideas; modò anodinis ut ſedetur violenta irritatio partibus ſolidis inducta indèque enati dolores & hæc omnia mirè poſſint adimplere Guttæ Monſpelienſes tùm in paroxiſmo, tùm extra paroxiſmum, præſertim ſi præmiſſa fuerint unverſalia. Jurè meritò concludimus.

Ergo Paſſioni hyſtericæ Guttæ Monſpelienſes.

F I N I S.

Martin

Mauduyt

Monsieur
mauduyt

Mauduyt.

Mauduyt